



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 160. Leonardi Hutteri interitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

positionem, licere *Judici opinionem probabilem sequi relicta probabiliori*, diserte tamen statuerit, id non licere, si per aliquam legem positivam ad sequendam probabiliorem adstringatur.

Sæc. XVII.
A. C. 1616.

§. CLX.

Leonardi Hutteri interitus.

Ex Lutheranae sectae Scriptoribus prior, qui hunc annum sibi exitialem habuit, erat Leonardus Hutterus patria Ulmensis, qui Argentorati Magister creatus, ac inde Lipsiam, Heidelbergam & Jenam profectus, demum Wittembergæ Theologiam professus est, ubi etiam anno ætatis suæ quinquagesimo tertio obiit: Erat Luthero addictissimus, forte, quia ejus nomen per anagramatis lusum idem sonabat ac *Redonatus Lutherus*; e contrario Calvinismum acriter impugnabat, & speciatim adversus Rudolphi Hospiniani Concordiam discordem Scriptor evasit classicus: Arguitur quoque, quod contra Samuelem Huberum ex Calvinistis ad Lutheranos profugum circa doctrinam de gratia universali omnes moderationis limites excesserit, & unacum suis assidelis adversarium suum non modo hæretici convitio laceffiverit, sed etiam auctor exstiterit, ut ipse officio suo statim

amo-

Sæc. XVII. amotus, & ignominiose toto Saxonie
A. C. 1616. Electoratu eiectus atque excommunica-
 tus fuerit, quamvis ipsemet Hutterus
 fassus esset, quod error præcipuus in
 ἀκυρολογία & ambiguo, nimisque aspero
 vocis *electionis divinæ* usu steterit: ast
 hæc erat in Lutheri Ecclesia, inquit
 quidam ex protestantibus, illorum tem-
 porum infelicitas, ut nullum plane in
 levissimis dissensum nonnunquam ferre
 potuerint Theologi, & quasi de summa
 & fundamento fidei ageretur, in se mu-
 tuo impetum fecerint, quod qui negare
 audet, vel ignorat Seculi istius histo-
 riam, vel eodem præoccupatus est spi-
 ritu, vel studio partium & personarum
 notorie indulget.

*Vix autem fidem inveniet apud posteros,
 quantis insectationibus utraque pars scripta
 sua repleverit? quo furore in alterutrum
 fuerint debacchati? in quod incendium ver-
 balis hæc scintilla excreverit? isthæc nempe
 certaminum non necessariorum sunt commo-
 da, isti animorum militarium iram, bellum
 prælia potius, quam modestiam Theologi-
 cam & salutarem inter Christianos pacem,
 spirantium fructus.*

Pari etiam furore Hutterus bilem
 suam effudit in Bellarminum, cujus
 libros *de Missa, de Persona Christi &*
scripto Dei Verbo refellere nitebatur.
 Scripsit etiam *actionem in Jacobum Gret-*
serum

serum de Imperatorum in Sedem apostatico-Romanam munificentia, necnon controversias binas de S. Scriptura contra Jesuitas, & de Persona Christi contra Calvinistas, contra quos etiam elucubrabat suum Calvinistam Aulico-politicum. Edidit quoque disputationes de formula concordiae, explicationem planam libri Christianae concordiae, & XL. disputationes de articulis Augustanae Confessionis & libri Concordiae præter analysin suam methodicam ejusdem confessionis: Adversus Catholicos suum vel maxime calamum exercuit, editis variis libris, quos inter præcipui erant, loci communes contra Sacrificium Papale missaticum, triumphus de Regno Pontificio & Ilias malorum Regni pontificio - Romani.

Sæc. XVII.
A. C. 1616.

§. CLXI.

Philippi Heilbruneri, & Scipionis Gentilis extrema.

Ejusdem sectæ Scriptor pariter hoc anno die decima septima Aprilis decessit Philippus Heilbrunerus Jacobi ejusdem nominis frater, qui Theologiæ Professor ac Doctor Colloquio Ratisbonensi interfuit, posterisque reliquit *Synopsin variorum errorum, librum de innocentia Lutheri, & vaticinia Prophetarum in locos communes digesta.* Alter erat Scipio Gentilis, natione Itatus, qui in
fausto